

Si accepta hac responsione, vel ex ipsa rei appellationis introductione, in facto, et jure evidenter apparet, appellationem esse manifeste frivolam, eam absque petitione et lustratione actorum statim rejicit, et sententiam confirmat, juxta dicta num. 527. Si vero in facto et jure manifeste frivola non apparet, petit acta, et format processum juxta dicta num. 523 et num. 527, vel causam delegat alteri, qui eodem modo ut reverendissimus procedere debet juxta dicta num. 531. Et tandem causa sufficienter et legitime examinata, fit sententia juxta dicta nu. 526. Quæ si in ordine nostro contra reum appellan-tem fit, tunc post verba, bene judicatum, et male appellatum, additur: Quapropter sententiam primæ instantiæ non tantum confirmamus, sed reum ad pœnam duplicatam condemnamus conformiter statutis nostris generalibus. Quod si pœna aliqua duplicari non potest, v. g. perpetui carceris, addatur: Et quia perpetui carceres duplicari non possunt, volumus, ut loco duplicatæ pœnæ singulis septimanis ter in pane et aqua jejunet. Vel quid simile, dein fit clausula et subscriptio, ut supra n. 526.

DE PRAXI FORMANDI PROCESSUM PER VIAM DENUNTIATIONIS JUDICIALIS.

534. *Per viam denuntiationis processus fere eodem modo fit ut per accusationem.* — Quæritur II. Qualiter in praxi institui, et formari possit, ac debeat processus criminalis per viam denuntiationis judicialis? Resp. Eodem fere modo, quo formatur per viam accusationis, de quo huc usque diximus. Et ponitur tantum loco accusationis, vel accusatoris, nomen denuntiationis, vel denuntiatoris; quia denuntiatio vere judicialis succedit loco accusationis, præsertim si denuntians instat, ut reus puniatur. Unde *Practica nostra criminalis*, tit. *Denuntiatio*, § 3, vult, quod, si denuntiator instat, ut iudex puniat (prout ordinariæ fit, quin et fieri debet, si est vere et proprie denuntiatio judicialis) denuntiator etiam se inscribere, id est ad probationem sub pœna talionis se obligare debeat; quia censetur esse accusator, et revera in effectu est.

535. *Secundum aliquos est differentia: et qualis?* — Cæterum volunt aliqui, quod denuntiatio etiam judicialis ab accusatione in nonnullis, modicis tamen differat; videlicet I. Quod denuntiator non necessario se

inscribat, nec ad pœnam talionis, bene tamen calumniæ teneatur deficiens in probatione. De consuetudine tamen se subscribit denuntiationi, vel litterarum ignarus crucem format.

II. Quod licet denuntiator judicialis teneatur denominare testes, et alia suggerere probationis media; testes tamen hujus dein dicantur ex officio assumpti; quia in denuntiatione non ipse denuntiator probare dicitur, vel tenetur, sed tantum testes et media suggerere, quibus dein ex officio iudex assumptus probationem facit; hinc quamvis facta denuntiatione iudex non ex mero officio, sed ad instantiam partis procedat; tamen adhuc ex officio inquirere, et procedere dicitur.

III. Accusator debet citari ad audiendam sententiam definitivam non item denuntiator judicialis: sicut etiam ille, non iste appellare potest, si iudex male, vel remisse iudicet; quamvis alia via dein contra iudicem agere valeat denuntiator judicialis.

IV. Quod accusator juramentum calumniæ, denuntiator judicialis vero juramentum de dicenda veritate deponat; quamvis et hoc, juramentum calumniæ tacite includat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno.

V. Volunt aliqui, quod ad processum via denuntiationis judicialis instituendum prærequirantur infamia, et probatio ejus. Verum, uti dictum, si denuntiator instat, ut reus puniatur, uti in vera judiciali denuntiatione fit, evadit accusatori similis: specialiter autem notavimus, et probavimus § 3, a num. 417, Infamiam vel probationem ejus non requiri ad institutum processum via denuntiationis judicialis.

536. *Requisita ad accusationem requiruntur etiam ad denuntiationem vere judicialem.* — Hinc eadem, quæ requiruntur ad accusationem requiruntur etiam ad denuntiationem vere judicialem, juxta dicta a num. 94. Potest etiam libellus vere articulatus in denuntiatione offerri, sicut in accusatione, per dicta a num. 353, unde qui scire cupit, quomodo processus per denuntiationem in praxi fieri debeat, videat dicta a num. 340, de praxi processus per accusationem.

537. *Si denuntiator debite non denuntiat, informari, vel sub juramento pro informatione examinari debet. Praxis hujus examinis.* — Porro si denuntiator libellum informem reddit, vel denuntiationem oretenus minus

rite profert, iudex ex officio debet ipsum monere, ut libellum rite formatum afferat, vel sub juramento ipsum examinare pro informatione necessaria, v. g. facta creatione notarii ut supra numer. 344 et posito initio processus numer. 347, ponit actuarius, cum sequitur.

« Quoniam vero denuntiator cum requisitis circumstantiis denuntiationem non proposuit; hinc A. R. P. provincialis ea solum acceptata si, et in quantum, etc., pro pleniori necessaria circumstantiarum informatione circa factum, de quo denuntiavit, denuntiatorem delato prius, et ab eo præstito juramento de dicenda veritate, et consequenter, quod animo calumniandi non denuntiaverit, examinavit, ut sequitur.

» Interrogat. Unde sciat ea, quæ denuntiavit? Resp., etc.

» Interrog. Quo tempore? quo loco? quibus præsentibus?

» Interrog. An ea viderit, vel ab aliis audiverit? Item quando? ubi? quibus præsentibus?

» Interrog. An fuerit instigatus ad denuntiandum? A quo? Quomodo, etc.

» Interrogat. An non monuerit superiores? Et de circumstantiis?

» Interrogat. Quare tandiu distulerit?

» Interrog. An quid aliud pro informatione dicere habeat? »

Quibus et similibus interrogatoriis paucioribus aut pluribus pro exigentia circumstantiarum, et denuntiationis ad necessariam informationem factis, concluditur examen.

« Quibus auditis, et respondentem relectis, cum aliquid addere, vel minuere nollet, subscribere jussus est. » — Ego Fr. N. affirmo, supra. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

Facto, sive omisso tali examine, fit dein examen testium, constitutio rei, defensio illius, tortura, sententia, appellatio, etc. uti in accusatione, de quibus vide a n. 340, usque ad n. 535.

538. *Consultius est accusare, quam denuntiare judicialiter.* — Et ex his patet, eum, qui ex zelo religionis desiderat, ut alienjus crimina ad exemplum aliorum et tollenda scandala, vindicta publica afficiantur, me-

ius facere, si formaliter accuset, libellumque accusationis offerat, quam si judicialiter tantum denuntiet: Tum ad evitandas controversias, quæ forsan ratione denuntiationis possint oriri: tum ad evitandum odiosum sui examen supra n. 519, allegatum: tum quia accusator habet favorem, quem non habet denuntiator etiam judicialis; tum etiam quia accusatoris in probatione deficientis pœnæ non sunt majores, quam denuntiatoris judicialis; cum juxta dicta n. 40, et dicenda tit. seq. hic æque, ac ille subiacet pœnis calumniæ; talionis autem jam abierit in desuetudinem, juxta dicta n. 44 (apud nos tamen viget). Accedit, quod accusator deficiens in probatione, facillime evadat pœnas, juxta dicenda n. seq.

PRAXIS FORMANDI PROCESSUM CRIMINALEM VIA INQUISITIONIS EX MERO OFFICIO

539. *Processus via inquisitionis plerumque etiam absque præcedenti infamia fieri potest.* — Supponitur ex dictis § 3, quod possit judicialiter institui inquisitio, vel generalis, vel mixta, vel specialis, et specialis quidem plerumque etiam absque infamia non tantum, quando ad instantiam partis, denuntiantis nempe, sed etiam quando ex mero officio instituitur; præsertim si adsunt sufficientia indicia delicti ab aliquo commissi, vel si fit contra delicta cit. § 3, a n. 183, specificata.

540. *Quomodo inchoetur.* — Quando itaque iudex via inquisitionis processum judicialiter instituere vult, creat ante omnia notarium ut supra, qui creatus statim inchoat scribere initium processus, et annotare, qualis sit processus; et qua occasione, vel causa institutus; puta, quia ex visitatione paterna, vel aliunde iudex sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi habet, vel quia fama est contra aliquem, etc. v. g.

« In nomine Domini, amen. Hic est processus criminalis, quem ex speciali inquisitione ex mero officio instituere intendit A. R. P. provincialis NN. contra Fr. NN. eo, quod in visitatione ordinaria habita (vel aliunde) plura contra eum emergerint indicia delicti N. ab eo commissi, prout amplius in actis visitationis. Quapropter, ne delicta manerent impunita, officio suo satisfactorius decrevit super hoc informationes sumere, testes examinare, et alia de jure

præstanda facere. Hinc me infra scriptum ad suam cameram, ubi tribunal erexit, vocavit, et in præsentia testium me in notarium creavit, etc. ut supra. »

541. *Quando requiritur prævia infamia, non requiritur juridica probatio ejus: quamvis utilis sit.* — Notandum, quod ubi indicia commissi ab aliquo criminis adsint, nulla prærequiratur infamia, multo minus probatio ejus ad instituendam inquisitionem specialem.

Si autem indicia non adsunt, nec est casus ex illis, de quibus § 3, a n. 186, utique prærequiritur infamia; quamvis non requiratur probatio ejus juridica, sed sufficiat, quod iudici extrajudicialiter constet de fama delicti ab aliquo commissi, prout amplius diximus cit. § 3, n. 192, ubi tamen n. 193, addimus, consultum esse, ut iudex creato notario a probatione infamiæ incipiat processum. Quando itaque sine indiciis aliis ob solam famam vigentem instituere vult processum, creatus notarius ita incipit registrare:

« In nomine Domini, amen. Hic est processus criminalis, quem via inquisitionis specialis ex officio formare intendit contra F. NN. Cum enim perveniret ad aures A. R. P. provincialis communem extare famam etiam apud graves, et non malevolos religiosos, dictum Fr. commisisse N. (hic narratur delictum) officio suo satisfacere volens decrevit, prout juris, inquirere (si vult prius assumere probationem infamiæ, seu malæ famæ, uti potest, sed non tenetur, addit): Et quidem imprimis super ipsa fama, hinc me infra scriptum, etc. »

542. *Ubi prærequiritur infamia: quomodo probari possit, ac debeat?* — Porro si a probatione infamiæ incipere vult, ab illa post creatum notarium incipit processum, vocando successive saltem duos testes, qui si de ea rite testentur, iudex pronuntiat constare de fama, v. g.

« Consequenter idem A. R. P. provincialis vocari coram se fecit P. NN. testem ex officio assumptum, qui præstito prius juramento de dicenda veritate, et facta debita exhortatione respondit, ut sequitur: »

*Ad generalia.* — « Interrogatus: Quo-

modo vocetur? Resp. etc. » et fiunt interrogatoria generalia, ut supra n. 372.

*Ad specialia.* — « Interrogatus: An fratres de conventu bene ac exemplariter vivant? Et an de nullo mala fama vigeat? Resp. De Fr. N. vigeat non satis bona fama.

» Interrog. Qualis fama? Resp. Dicitur de eo, quod, etc.

» Interrogat. Quis hoc dicat de eo? Resp. Est communis loquela in conventu.

» Interrogat. A quibus signanter audiverit? Resp. Audivi a P. lectore N. a P. concionatore N. et P. N. etc.

» Interrogat. An non sciat, vel audiverit, hos esse inimicos Fr. N. diffamati? Resp. Nec scio, nec audivi, eos ipsi contrarios; imo potius P. N. esse Fr. diffamati alias specialem amicam.

» Interrogat. Qua occasione, vel a quo ortum habeat hæc mala fama? Resp. etc.

» Interrogat. Quanto tempore jam vigeat hæc fama? Resp. etc.

» Quibus habitis, etc. fit clausula et subscriptio ut supra n. 381. » — Ego Fr. N. testis ita deposui. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

Similiter examinatur adhuc unus vel alter de fama, ut plene de ea constet, quo habito pronuntiat, constare de fama, v. g.

« Consideratis considerandis testium præfatorum depositionibus A. R. P. provincialis pronuntiavit constare de fama, decrevitque contra Fr. N. tanquam diffamatam ulterius, prout juris procedere. Acta sunt hæc, die, etc. » — Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

543. *Si non constat de infamia, in casu, quo requiritur, ulterius contra reum procedi non potest.* — Quod si fama rite non probata pateret in casu, quo requiritur ad specialem inquisitionem, pronuntiat iudex non constare de fama, ac decernit, non esse ulterius procedendum v. g.

« Consideratis depositionibus testium, videns. A. R. P. provincialis, quod fama ortum habeat ab inimicis, vel factionariis, garrulis, etc. vel non esset satis probata; et ipse Fr. N. apud viros probos, et prudentes non esset diffamatus, etc. pronuntiavit, legitime non constare de mala fama,

ae propterea ex illa ulterius non esse procedendum. Acta sunt hæc die, etc. » — Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

544. *Examen testium, constitutio rei, et alia fiunt in processu per acquisitionem, sicut per accusationem.* — Facto, vel omisso (prout omitti potest juxta dicta) judiciali indagine de fama, procedit iudex ad probandum delictum, examinandos testes super delicto, constituendum reum, dandas eidem defensiones, torturam illius, si necesse est, sententiam, etc. eodem modo, sicut in processu per viam accusationis instituto: sciendum enim, quod ad condemnandum aliquem, vel puniendum judicialiter, non sufficiat, extare de illo famam plene probatam, sed debeat etiam probari ipsum delictum ab eo esse commissum, ut proin aliud sit probatio famæ, aliud probatio delicti.

545. *Excepto, quod testes super delicto non nude ac statim aperte de delicto, sed a longe, et per ambages examinari debeant.* — Illud etiam specialiter notandum, quod juxta dicta n. 375, quando instituitur processus per viam inquisitionis ex mero officio, testes examinandi super delicto non possint statim nude ac simpliciter interrogari super delicto, v. g. « An non sciat, a laico fuisse occisum Sempronium, vel, an Titius commiserit fornicationem, etc. » Sicut fieri potest in processu per viam accusationis, vel denuntiationis instituto, si accusator, vel denuntiator judicialis libellum rite articulatum offert, juxta dicta n. 374 et 375, sed debet iudex absolutis interrogatoriis generalibus interrogatoria specialia ita proponere, ut non nisi a longe, et per ambages incedat, donec ad ipsum delictum deveniat, et de ipso aperte interroget: quod etiam observare debet, si ipsum reum examinat.

Modum et praxin testes a longe examinandi super variis criminibus habes apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal. sect. IV.* Nos unicum exemplum afferamus de hujusmodi examine testis super furto.

*Absolutis generalibus interrogatoriis ut supra n. 372. Ad specialia.* — « Interrogatus: An sciat in hoc conventu delictum aliquod esse commissum contra legem Dei? Resp. Quantum audio, grave delictum esse commissum.

» Interrog. Quale delictum sit commissum? Resp. Furtum calicis.

» Interrogat. Ubi, et quando fuerit commissum? Resp. Ante octiduum e sacristia.

» Interrog. An sciat, quis furatus sit, vel saltem habeat aliqua indicia, vel suspicionem contra aliquem? Resp. Fr. N. furatus est.

» Interrog. In causa scientiæ? Resp. Audivi ab aliis pro certo.

» Interrog. A quibus audiverit? Resp. Ab N. N. N.

» Interrog. An ex his fuerit aliquis præsens, et deprehenderit furem? Resp. Quantum audio Fr. N. ipsum vidit. »

546. *Praxis hujus.* — Tali modo vocat dein, et examinat alios, et præcipue illos, qui testes de visu, vel plura scire perhibentur. Quod si testis aliquis a longe interrogatus delictum, et delinquentem statim specificat, et speciem facti narrat, non erit necesse alia interrogatoria per ambages facere, sed de causa scientiæ, contestibus, et aliis pro diversitate circumstantiarum examinare poterit.

Reliqua, ut jam dictum sicut in processu per viam accusationis instituto, de quo vide a n. 340, et Elenchum rubricarum ad initium hujus tit. a § 7.

DE PRAXI INSTITUENDI PROCESSUM CONTRA DELINQUEM IN PRÆSENTIA JUDICIS PRO TRIBUNALI SEDENTIS, ET JURISDICTIONEM EXERCENTIS.

547. *Hic processus paucis et breviter absolvitur.* — Quæritur III. Quomodo practice institui, et formari debeat processus contra delinquentem in præsentia judicis pro tribunali sedentis, aut in actu seu exercitio jurisdictionis suæ existentis? Resp. Si reus in conspectu ipsius judicis pro tribunali sedentis, et reum forsan examinantis peccat, v. g. blasphemat, judicem percudit, gravia calumnia afficit, statim incipere et finire potest processum, in continenti, examinando ipsum, et sententiando tali modo. Actuarius ad mandatum judicis sive ordinarii, sive delegati, incipit, ut sequitur.

« In nomine Domini, amen. Hic est processus criminalis contra Fr. Rusticum in conspectu judicis pro tribunali sedentis delinquentem. »